

CAP. II.

1. *Interpretis Homonymia.* 2. *Quid nobis significet.* 3. *Illius objectum materiale.* 4. *Quid sit vocabulum.*
 5. *Quid sit oratio.* 6. *Utriusque Divisio.*
 7. *Interpretis objectum formale.*

1. **I**nterpretis vox, (ut à prædicatō initium faciam) à quâ *interpretari*, *interpretatio*, ac *interpretamentum* originem ducunt, multiplici apud Auctores venit significatione. Communiores sunt, quod denotet primò Eum, qui partes dissidentes componit atque conciliat: sic *interpretes* ab Asconio Commentat. in 2. Orat. Ciceron. contra Verrem dicuntur, per quos inducitur pactio. Hòc sensu etiam Virgilius 4. Æneid.

Tuque harum interpret curarum, & conscia Juno.

Ubi Servius, *Interpres, hoc est, Mediatrix, & conciliatrix.* Nec non Cicero Orat. 5. in Verrem. *Qui aut sequestres, aut interpretes corrumpendi iudicii solent esse, &c.* Et quoniam tales Mediatores animos eorum, quibus dati sunt interpretes, scrutantur atque sciscitantur, ac illis postmodum explicant atque aperiunt, factum est ut *interpres* secundò pro eò accipiatur, qui obscura exponit; sic Virgilius 3. Æneid.

Trojugena interpret divum &c.

In quem locum Servius, *Interpres, vaticinator, qui mentem Deorum mortalibus publicat.* Et 10. Æneid.

———— *Hominum Divumque interpret Asylas.*

Ubi iterum Servius, *Deorum quos interpretatur; hominum, quibus interpretatur, & divinas indicat mentes, interpret vocatur.* Et Cicero, ad obscuritatem ambiguitatemque orationis id specialius applicans, Orat. 14. pro A. Cluent. *Legum ministri Magistratus; legum interpretes Judices; legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.* Sic etiam de Partit. Orator. *Ut ex facto cujusque Judex legis mentem interpretaretur.* Et de Offic. lib. 1. *Exsistunt etiam sæpe injuriæ calumniâ quâdam, & nimis callidâ & malitiosâ Juris interpretatione.* Cumque etiam, qui ex incognitâ linguâ in cognitam aliquid transfert, obscuram quodammodò orationem claram reddit ac perspicuam; hinc etiam *Interpres* tertio is dicitur, qui quid in aliam seu scriptò, seu vivâ voce, vertit linguam. Hâc hujus vocis significatione utitur Horatius in Arte, quando ait,

*Nec verbum verbò curabit reddere fidus
Interpres.*

A 2

Et